


*Bibliothèque numérique*

medic@

**Bonnaud, Leonard - candidat /  
Mertrud, Jean-Claude - président. -  
[De panaritio]**


**1761.**

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Collegii & Academiae Regii  
Chirurgorum Typographi, viâ  
San-Jacobeâ, sub signo Olivae.  
Cote : ms 2342, n°77*



namque excedit. Ex aliis dicitur quod non  
solus unde novi venientes sanguinem  
frorum perirent sed etiam ipsi fratres sanguine  
ad eum tangentes. Hincenam a veteribus autoritate  
poterit. Non ut bene fuisse in litteris multo enim. Quia  
fratres. Alios autem ut haec operatio. Tunc non sicut  
se habent in parte laterali palmarum recessum. In digitis  
digitorum infra umbilicam vel inservient ipsae ligamentis. In  
cilia sunt. habet in hexagono. Lateraliter per membrana  
semper videtur. hincenam continet. Quod latitudine  
digitorum per quam in aliis. latitudine latenter pro  
ratis resonibus circa circumferunt ad griseos caputum ab  
dote perit. quamvis distilla. Dicere tamen debet  
aristoteles. A hincenam movet. Et visus ante  
digitorum extremitatem. erit illud latissimum. dolor.  
et perit. Nam est hincenam. et perit.

I O V





*D. O. M.*  
THESES  
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



MAJORI causâ majus semper oriundum symptoma ne credas : gravioribus instrumentis periculosè laeduntur partes ; periculosa ipsi, non raro à levissimis infliguntur aciculis vulnera (a). Illis succurrere præceps, his ut æquè prompta admoveatur medela, providè curet rei Chirurgicæ peritus. Quanta enim ex levioribus vulnusculis accidentia (b) ! Quot pro neglectis, aut imperitè tractatis quibus-libet puncturis strages (c) ! Cur etiam, in hisce affectibus venenosum quid

(a) Periculosa à levissimis causis vulnera testantur Plinius, Varro, Hildanus &c. Vulnusculum in specie levissimum ab infixis in labium inferius dentibus anatis, juvenem post immanem totius capitis intumescientiam infandoque cruciatus enecavit referente D. Lecat Chirug. Rotomagens. Peritiss.

(b) Job. à Meckren Observ. Med. Chirurg. pag. 303.

(c) DD. Bagieu lib. cui titulus *Examen de plusieurs parties de la Chirurgie*.  
Tom. II.

2

suspiciati fuerint antiqui (d)? Ex inferius descriptâ Panaritiorum in-  
dole patebit invicissimè. Partium interim in quibus sedere solent,  
earumque ad quas portentosa extenditur Concomitantium symptoma-  
tum cohors prior anteeat adumbratio.

MANUS Præcipuum tactus organum & peculiarem præsentis quæ-  
tionis aulam præ se ferens (e), omnis generis partibus, intricatissimo  
papillarum nervearum ordine, sensu exquisitissimo donatis, præcipue  
ad apices digitorum, gaudet; ut jucundi sensus, sic & acerbi doloris  
sedes. Cultro anatomico subjecta adæquatam extremitatis superioris  
cognitionem expostulare videtur. Hæc autem, quatuor partibus,  
humero videlicet, brachio, antibrachio manuque componitur. Hu-  
merum efformant clavis & scapula: unico osse ferè cylindrico hu-  
mero dicto brachium pollet; cubitus & radius antibrachium consti-  
tuunt; manus in carpum, metacarpum & digitos distinguitur.

OSSICULIS octo in duos ordines dispositis perficitur carpus; tria in  
primo ordine reperiuntur, putà naviculare, semilunare, cuboides  
cui addas extrà ordinem, pisiforme: quatuor in secundo, scilicet,  
trapezium, trapezoïdeum, magnum & uncatum; quatuor ossa ferè  
cylindrica, ab indice ad minimum digitum minutiora metacarpum  
statuunt; digiti verò quindecim ossibus, tribus pro uno quoquè,  
gloriantur.

PRÆDICTARUM partium vectes musculi, quorum enumeratio  
longior.

QUI vivificus, ab arteriâ brachiali suppeditatur extremitati supe-  
riori sanguis, redux axillari venæ allabitur.

NERVORUM sex paria à quatuor inferioribus cervicis & primo su-  
periore dorsi, motus sensusque suprà laudatis partibus ministrant.

RESIDUAM ex hisce partibus lympham deponunt in glandulas  
axillares ductus lymphatici.

PHLEGMONODES tumor, plus minusvè dolens, plus minusvè per-  
picuus, ad apicem vel circâ longitudinem digitorum (f) quandoque  
propè radices unguis, Panaritium, Græcis παναρίτιον dicitur.

QUATUOR distinguuntur hujuscce affectus species (g) seorsim à

(d) Joan. de Vigo Lib. II. Tract. VII. Cap. V. Lazar. Riverius Centuriâ  
IV. Obs. XIX. & LXIII.

(e) In digitis pedum reperiri possunt Panaritia; sed rariùs, nec de his institua-  
tur quæstio.

(f) Quandoque in omnibus digitis simul vitium hoc hæret ut testatur Hey-  
terus Instit. Chirurg. p. 1077.

(g) Unicam Panaritii speciem adscribunt Joan. de Vigo Lib. II. de Apostem.  
Cap. V. Riverius Obsrv. Cent. IV. Obsrv. LXIII. Dionis Operat. Chirurg.  
Demonstr. 8<sup>a</sup>. sed ut rectè monent sagaciſſ. ejus Commentator, Platnerus  
Instit. Chirurg. pag. 67. Garengeot Operat. Chirurg. Cap. de Panaritio Tom.  
III. pag. 283. &c. Quatuor sunt merito distinguendæ. Tres enumerant D. Col

3

nobis recensendæ. Prima extreum digiti, viciniores unguis partes occupat, nec ultrà corpus reticulare Malpighii limites habet; levissimo tumore, rubore doloreque conspicua.

SECUNDA huic ferè similis quo ad initium, cutim textumque cellulose pungitivo dolore, rubore tumoreque afficit, comitemque febrem plus minùsyè minatur.

Si vaginalis tunica tendinis ab acri interius corroditur sero, tercia paronychiaæ species adesse dicitur: hæc in digito vix sensibus conspicua, gravissimis, ut infrà dicemus, datur accidentibus præda.

QUARTA denique periostrum & os ipsum vexat, & à præcedenti dolorum intensitate, accidentibusque parùm differt.

QUAMCUMQUE sibi vindicet sedem de quo hic agitur morbus, causas externas habet vel internas: externæ iætus, contusiones, erosiones, puncturæ, &c. internas Panaritii causas ab humorum crassi perversâ, aut quâcumque lue sive scrophulosâ, scorbuticâ, præprimis venereâ desumendas, nec immeritò dixeris; has autem demonstrant irriti generalium mediorum usus, furens accidentium cohors, quibus addas commemorativorum signorum comparationem; undè tertiam quartamque speciem non raro constituunt.

AB irritabilitate & sensibilitate partium (*h*) præcipua oriuntur paronychiarum accidentia quâ propter prima & secunda species cuticulam, cutim textumque cellulose duntaxat affientes, levioribus accidentibus obnoxiae, leviori medicaminum apparatu sedantur: si verò nerveas sub ungue latitantes papillas vitiosus latex commoveat, acerbus indè sequitur dolor, cui nisi festina ponatur medela, mox febris ardens, digitii manusque ingurgitatio, periostrii ossisque ipsius erosio quartam denunciant speciem, ut infrà dicemus (*i*).

TERTIUM paronychiaæ genus tunicae tendinique adhærescens, gravissimis accidentibus immò & morti quandoque locum dat: partes enim illæ irretito fibrarum nervarum ordine cinctæ, sensu acutissimò pollentes, fasciis vinculisque tendineo ligamentosis firmatæ, stagnantes incarcerant humores, proindèque vicinarum partium ingurgitationes & inflammations magnoperè protrahunt undè strangulatis capillaribus, seri stagnatio, manus inflammatio nervorum textusque

de-Villars, *Cours de Chirurgie*, Tom. I. pag. 383. Heyster Instit. Chirurg. Part. II. Sect. VI. Cap. CLXX. &c. Goueyus quinque Paronychiaæ species affigunt Lib. cui Titulus *Chirurgie Véritable*, pag. 307.

(*h*) De sensilitate & irritabilitate partium inter DD. Bianchi & Haller Listoria est cuius Historia prolixior & insituto nostro minus congruens Legatur in Colect. Period. Observ. Med. Anat. Chirurg. &c. Tom. IV. V. &c.

(*i*) Plinius de Morte Repentina Variorum Cap 36. Lib. 2. Q. Amil. Lepidum ex percussione unguis mortem contraxisse narrat. Plura similia refert Job, à Meckren Obs. Chirurg. p. 316.

4

cellularis distensio ac divulsio (*k*) , aliaque accidentia sœviant in partes vicinas. Furit in carcere stagnans serum, urentem induit indolem quâ exurgit sanguinis spirituumque effervescentia , doloris augmentum , &c. Serpit in viciniores musculos inflammatio , totiusque membra ingurgitatio tanta ut manus , antibrachium , condylus humeri internum ut potè musculi sublimis insertionis puncatum superius , cubiti pars media profundi musculi ortus gravissimis vexentur doloribus. Nec soli tam acerbæ stragis viëtimæ ! Strictiori enim harumce partium textu cellulari , aponevrosibus extensorum firmato (*l*) omnes & singulos ambiente musculos , sanguiferaque vasa arctissimè cingente , mox brachialis anterior & biceps musculus antibrachii flexores , jam quatuor extensores , lacinantes doloris sensus , periculosissimæ ingurgitationis nuncios ad axillam & scapulam devehunt. Deprædatur interim urens vitiosusque latex manus & carpi pinguedines , varios abscessus in antibrachio plus minusve per timescendos præcipitesque fodit sinus : tandem febris ardens festinans hujus morbi assecla , insomniæ , convulsiones , animi deliquia , spasmi , deliria , caries , gangræna , miserum ita discruciantur & exercent , ut nisi opportunum accerferit auxilium , vitæ periculum sentiat (*m*).

Si tendinis extensoris cellulariem tunicam afficiat paronychia , varia brevi quibus distinguuntur ejusdem musculi tendines per frænula serpit ; hinc externum humeri condylum dolor premit acerrimus , descriptamque accidentium catervam si non omnino , saltem partim secum protrahit.

Quæ in pollice sedet , licet tertiae speciei aliis digitis intactis ; solum afficit pollicem ; nec in illâ , ultrâ medianam cubiti partem extenditur dolor : musculi enim pollicis proprii viæ ullam cum aliis communicationem arguunt : exurgit sensilis in volâ manus tumor , sed minus quam in aliis digitis dolens ; ligamentum vero semi-annulare carpi minori tumore , sed acerrimo dolore torquetur. Mox urgentibus symptomatibus pertingit plus minusve dolor versus internum humeri condylum , & licet in specie minus periculum prædicare videatur ; defectu efficacis medelæ , corruptam , superiusque descriptam induisse naturam plures observavimus.

QUARTA Panaritii species os ipsum periostiumque ita divellit , ut

(*k*) Quantum lucis in praxi effundat accurata textus cellularis ejusque actionis cognitio , Demonstratur egregiè Lib. cui Titulus *Idée de l'Homme Phisique & Moral*.

(*l*) Textum cellulosum variam pro partium naturâ & animantium viribus indolem sortiri variis Experimentis Anatomicis constat. Totum in Leone ten- dinosum post sagaciss. DD. Daubenton comprobavit actus præses.

(*m*) Heyster Instît. Chirurg. Part. II. Seçt. VI. Cap. CLXX.

venenosum aliquod excogitarent Antiqui(n). Nec mirum; præstantissimo sensu instructum hoc ossis involucrum, erosio ab acri fero vinculis, ab amico osse decerptum, divulsionibus eoque intensioribus angitur ærumnis quod strictrior est ipsius structura pluribusque nervulis pervia, unde licet nullus appareat tumor, febris ardens, deliria, spasmi, caries, &c. diros ægro cruciatus, Chirurgo sollicitam portendunt curam.

PRO variâ specie prognosim differre nemo non videt: omni periculo vacant prima & secunda species, modo tamen idoneâ medicaminum aut instrumentorum applicatione curentur: sæpius enim defectu auxiliatricis medelæ, præfertim si prava sit humorum indoles, tertiam quartamque comminuntur speciem, iisdemque accidentibus infestantur.

TERTIA & quarta paronychiæ species gravissima pericula auspiciantur: pluries enim, non manus duntaxat, sed brachii, immo & vitæ ipsius exitium patiuntur ægri: spes tamen in angusto est ab amico Chirurgiae subsidio comparanda.

EDUCITUR ab accidentibus therapeia, vario pro diversis tentanda medio. In primâ itaque specie ut plurimum confert in aquam fervidam digitus immersio(o), emplastrum ex unguento fusco vulgo de la mere, diachylo cum gummis aliisve similibus paratum, ut citior fiat puris collectio, cui, lanceolâ in cuticulam immissa, facilis panditur exitus. Tunc plumaceolo aut spleniolâ vino mellito imbutâ facilis perficitur curatio.

SECUNDA paronychiæ species venæ sectionibus, emollientibus, unctuosisvè applicatis facile cedit aut sensibili tumore, rubescente, maculis albidis distinctâ minutâque cutis superficie maturi puris comprobatur stagnatio; quo in casu Chirurgus, lanceolâ claustrum pertundit medicaminibusque siccantibus mundatum ulcus ad optatam cicatricem conductit. Si lateat sub ungue puris collectio, scalpello, quantum satis, erodendus unguis, donec idoneo foramine tuta pateat hosti latenti via.

IN unguis lateribus πτερογύνων sive fungosæ carnis propago non

(n) Venenum in paronychiâ latere asserit Lazar. Riverius Obs. XIX. Cent. IV. Additque in aure & capite felis adesse vim quandam magneticam Panaritii qualitatibus familiarem cuius beneficio venenum, in tumore latens adse trahat: & Observ. LXIII. Sic loquitur " Jussi ut digitum dimitteret in aurem " felis, & intrâ duas horas doloris expers fuit: Sentiebat per intervalla attrac- " tionem digitii in cavitatem auris & subinde dolor totum brachium invadebat " usque ad Humerum. Eodem tempore felis vociferabatur, ut credibile sit cum " dolore affici à veneno attracto: Paronychia enim est tumor venenosus.

(o) In aliis quoque Panaritii speciebus aquam servidam commendant plures: Fabricius ab Aquapendente Oper. Chirurg. pag. 637. Celsus Lib. 8. Cap. 13. Platner. Inst. Chirurg. p. 69. §. 146. &c.

infrequens: alumine usto, hydrargiro præcipitato rubro, aliisvè leylo-  
ribus escharroticis consumitur: tunc suprà laudatis cicatrix medica-  
mentis perficitur.

PANARITII tertiae speciei curatio haud ita facilis, efficacissimis;  
& quidem promptissimis Chirurgiæ opibus indiget: repetitis enim  
venæ sectionibus, emollientibus, anodynis, resolventibusque me-  
diis incassum adhibitis, si vehemens urgeat dolor, periculum est in  
morâ. Digitus scalpello feliciter subjiciatur ut apertâ, juxta lon-  
gitudinem, vaginali tunicâ, tutum vitioso latice exhibetur iter.  
Tunc resecantur vulneris margines quâd facilius admovеatur tendini  
plumaceolus contrâ noxiā puris actionem vallum muniens; tandem  
resolventibus, balsamicis, aliisque mitioribus tonicis, debitum cica-  
tricis punctum tentat Chirurgus. Quâd si diuturniora remorata  
fuerint repagula, in volâ manus, ligamenti semi annularis viciniores  
nidulari abscessus procul dubium: præmisso igitur specillo sulcato,  
idoneis sectionibus latentes hostes foras educere propera: dissectis  
vaginali tunicâ, fasciis ligamentosis, musculi palmaris tendineâ expan-  
sione, aliisque ingurgitationi, strangulationique faventibus, maxima  
fit anchora salutis. (\*) Sed furit infra musculum pronatorem qua-  
dratum incarceratus humor, quid hæres? Clariss. DD. Thibault  
gressus lustrans, specillo sulcato subtus præmisso, scalpellum ad imum  
focum inter tendines mittatur, ut extracto pure, facilis fiat fetaceo  
via. Urgent accidentia: acri sero maculatur ligamentum; huic ne  
parces? Minime. Satior enim est ligamenti ipsius sectio quâm tol-  
tius manus truncatio quæ, tali spreta methodo; brevi serpente gan-  
grænâ sphaceli pericolosi nunciâ, ægrè quidem, foret, sed necessa-  
riò, tentanda. Quin imò! per plurimas tûm dorsi manus, tûm anti-  
brachii, brachiique partes debacchatur hydra variis latitans ab-  
cessibus, totidem pro ratione, artisque legibus secundis, ut debel-  
latis accidentibus, felici successu gaudeat Chirurgus. Partes interim  
denudatas, plumaceolis balsamis imbutis tueri, vicinioribus ac in-  
gurgitatis resolventium applicatione auxiliari, omnesque, pro rerum  
naturâ vino mellito, spiritu vini in aquâ soluti, aliisvè similibus  
mundare, periti Chirurgi munus. Olea crassiora, aliaque unguenta  
putredini faventia, spirituosa, essentialia ut potè urentia ac desic-  
cantia prorsùs rejicimus. Quæ medium inter illa tenent locum, ut  
balsamica naturalia v. g. therebentina, balsamum tolutanum, Peru-  
vianum, demechâ &c. partium tendinearum, nervorumque amicissima

\* Sanguinem in hâc operatione fluere necesse est: si vero, is cum impetu  
periculofius ruat, apagè sanguinis aliisque adstringentibus tendinum hostibus uti:  
non enim medicamentis sedandum, sed arterias vincendas jubent Platner,  
Inst. Chirurg. pag. 72. §. 154. Heyster. jam laudatus pag. 1084.

feliciter amplectimur. Pannum deligatio; ab artis legibus petenda; pro morbi natura differt; tendines enim denudatos plumaceolis, splenii idoneis, fasciisque in propriis sedibus servare ac defendere sedulus nitetur Chirurgus (p).

QUARTA Paronychia species cum periculosissimis si in summum abeat, sit accidentibus preda, celerem sibi operationem vindicat. Praemissis itaque sicut de tertia specie diximus venae sectionibus plus minusve repetitis, emollientibus, anodynis resolventibusque mediis, lateralem digiti partem ad ipsum os pertundere ne dubites: stillantibus guttulis aliquot infesti seri maxima plerumque fit dolorum solutio. Si vero ulcus sordidum, verminosum (q) cum ossiculi carie coniunctum fuerit, idoneis pro symptomatum ratione medicamentis, ossiculi exfoliatio, si minus excisio tentanda. Nec satis est dolores sedare, accidentia topicis, diatâ ferroque debellare, tendines ossiculumve servare, digiti manusque motuum incolumentem expostulat perfecta curatio: arduum quidem opus! (r) sed nulla nisi ardua virtus.

PRÆMISSIS præmittendis, cum optatae cicatricis lux affulgere incipit, sanationis opus naturæ committere caveas: tunc enim ulterioribus indiger auxiliis æger: bis itaque singulis diebus deligitur digitus; alternis vicibus cum aliis modo flexus, modo extensus, & in alterutram positione identidem firmatus; concressit caro, ut ita dicam, spuria, scilicet substantiam quædam à partium vicinarum adhæsione orta, deficientis tendinis partis vices gerens, quæ mediante sublatam ipsius partem restitutam crederes: (s) fanorum digitorum motus sequitur digitus affectus, immo & propriis gaudet:

(p) Fasciam octodecim capitum aliis multò præstantiorem probat Heyster pag. 1085.

(q) Panaritiumvermis digitorum, vermiculusrodens &c. ab antiquis vocabatur Zuinger. Theatr. Prax. Med. p. 326. Sed lumbricorum commendatione oriri hanc denominationem testatur Juncher Conspect. Chirurg. p. 131. Reperiuntur equidem quandoque vermes in exuleerato tali affectu, sed putredinis sequelæ non morbi causæ.

(r) Impossibilem post tales operationes digitorum usum docet Platner. Instit. Chirurg. §. 153. pag. 72. Sic enim legitur: » Quæcumque etiam curatio habet beatur minor vel nullus usus illius digiti qui laboravit, relinquitur, cuius etiam sèpè parùm super est in totâ manu quam rigidam manere necesse est.

(s) Nostræ methodo annuere videtur felix Wurtzius cum suturam tendinis, servato partis motu celebrat: hæc enim leguntur Lib. de Cura. Vulner. Cap. 14. Nervum (sic tendinem ipsum intelligere censet Job. à Meckren Obs. Chirurg. pag. 311.) Instrumento apto in conspectum producere debes: mox suturâ debitâ conjungere quam tamen rejicimus adhuc enim sufficit idoneus partem sutus vulnus vero ipsum apertum debet servari, & hæc ratione nervi, (tendinis) datur nova reunio nec æger motu privatur.

hâc methodo; non solum manus, sed & ipsiusmet digitî motus agilitasque servantur.

Vide Egregiam Observationem ab Emerito D. D. Caumont in Diario Gallico  
an. 1734. pro mense Jul, quâ, laudatam methodum, feliç successu gaudens  
publici juris fecit.

*De Linoges*

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE  
CLAUDIO MERTRUD, Artium & Chirurgiæ Magistro,  
tueri conabitur LEONARDUS BONNAUD, Limovicensis, in  
Almâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister, &  
Castrorum Nosocomiorum olim Chirurgi Primarii Ajutor.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati 17<sup>â</sup> Januarii à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam  
anno R. S. H. 1761.

PRO ACTU PUBLICO  
ET MAGISTERII LAUREA

---

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi  
gjâ San-Jacobeâ, sub signo Oliva, 1761.